

R. Elieser. in Bresch, Rabba. Vir Amplissimus atq; in orbe erudi-
dito longè famigeratissimus Dn. Zeisoldus Patronus, Præceptor
atq; Hospes noster æviternum colendus in aureo libro de Anima,
sect. 1. art. 3. punct. 2. In notis Iacobi Instit. Phys. l. 7. c. 8. Sic &
Excellentissimus atq; Amplissimus Dn. Posnerus, Præceptor atq;
Patronus omni honore prosequendus in disputatione ante hâc ha-
bitâ, ut & in lectionibus tum publicis tum privatis. Qui Autores
omnes & singuli affirmant in uno vivente plures posse esse si-
mul animas. Signanter dictum fuit in uno vivente, aliud siqui-
dem est plures dari animas; aliud est plures dari animas in
uno eodemque vivente: Prius posset affirmari, ita tamen, ut
posterius negetur.

§. 22. Hic quidem monendum est quòd in præsentì no-
bis quidem sermo non sit de monstris, quæ interdum dupli-
ci ac triplici anima constitisse historiæ documento sunt.
Sic in oppido quodam Emaus referente Schenckio observ. med.
p. 1. obs. 10. Theodosio Cæsare imperante, puer natus fuit, qui
umbilico tenus integer extabat, supernæ autem partes ejus-
dem geminæ erant, ut duo pectora totidemque capita essent,
suis partibus ac sensibus prædita: Nam & una pars aliquan-
do cibus & potione utebatur, altera abstinebat. Sic itidem
in quiete & somno variè ac differenter se habebant, ut vicis-
sim lusitarent & risu & lacrymis tenerentur, mutuisque pla-
gis se cæderent. Annis autem probè duobus vixerunt. Fa-
ctum est deinceps, ut cum alter periret, qui superfuit, qua-
triduo post ex agnata tabe computrescens interiret. Simi-
liter referunt nonnulli olim editum esse infantem tria ha-
bentem capita, tria pectora, sex brachia, sex pedes: Hic tri-
plici triplicis capitis ore lac sugebat & vagiebat. Tres subes-
se animas è triplici pectore judicârunt docti, quod monstrum
confirmavit interitus; Postquam enim mortuum fuit, pri-
mum caput unum, hinc alterum, tandem tertium vitâ priva-
tum est. De his & similibus monstris in præsentì non agi-
mus, quia ab omnibus conceditur h. m. contingere posse,
ut unâ plures in homine sint animæ. Sermo igitur est de uno

non de monstris